

Damian Pierzak

**De Ulixis mentione, quam Cynaethus
poeta fecisse videtur : H. Ap.
167SQ.AHS**

Collectanea Philologica 15, 11-13

2012

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

Damian Pierzak

Katedra Filologii Klasycznej
Uniwersytet Śląski

DE ULIXIS MENTIONE, QUAM CYNAETHUS POETA FECISSE VIDETUR (H.AP. 167SQ.AHS)

ULIXES A POETA CYNAETHO LAUDATUS? (H. AP. 167SQ. AHS)¹

In Homer the mythological events from outside the Trojan plot are usually referred to in the discourse of the characters and not by the narrator himself; this, however, is not the case in the Homeric Hymns. In the following short note, I shall attempt to suggest that the author of the Delian Hymn to Apollo could have alluded to Odysseus through a different narrative device. Both the language and structure (including the so-called ring composition) are examined in order to strengthen the present hypothesis.

De hymni Homerici *in Apollinem* in duas partes divisione usque ad nostrum tempus contenditur. Nonnulli auctorem eius poetam Cynaethum, qui ca. septimum/sexum saec. a. Ch. natum florisset, esse volunt. Haud incertum quidem hymnum ipsum inter totius corporis veterimos stetisse atque Homerum apud eum multum valuisse². Quibus rebus exhibitis viri quidam doctissimi variam inauditamque carminis formam inspexere³. Non olim tamen in „compositionem”⁴ quae „iuncta” vocatur huic generi idoneam animus legentium est conversus⁵. Hoc opusculo

¹ De Ulixis mentione, quam Cynaethus fecisse videtur (H. Ap. 167 sq. AHS).

² Sermone illius poetae, ut creditur, pars pythica amplius affecta est, vid. M. Chappell, „The Homeric Hymn to Apollo: The Question of Unity”, in: A. Faulkner (ed.), *The Homeric Hymns. Interpretative Essays*, Oxford and New York 2011, p. 59 – 82 [68]: „P. is often more Homeric and leisurely in style [...]”.

³ E.g. R. Janko, „The Structure of the Homeric Hymns: A Study in Genre.” *Hermes* 109 (1) 1981, 9 – 24 [p. 17 sq.]. Ad v. 158 – 176 cf. C. Calame, „Variations énonciatives, relations avec les dieux et fonctions poétique dans les Hymnes homérique,” *MH* 52 (1) 1995, 1 – 19 [p. 16].

⁴ „Iunctam compositionem” appello, quod sermone Britannico *ring composition* dicunt.

⁵ Id primum in: *h. Ap.* investigando, ut censeo, hoc opere cognitum est: J. D. Niles, „On the Design of the *Hymn to Delian Apollo*,” *CJ* 75 (1) 1979, 36 – 39. Cf. etiam de *h. Ven.*: A. Faulkner (ed.), *The Homeric Hymn to Aphrodite*, Oxford and New York 2008, ad 64 – 91 (p. 149, 151).

„iugum” sequens, quod Ulixem amplectatur, addere plurimum mea refert⁶. Prima facie haec absurda et operaे non digna videri possunt, quoniam nobis Ulixem magis cum Mercurio, furum illo sollerte magistro, conferre placet⁷. Sed hic Apollo tamen hymno Homericō a poeta depictus illius dei nitentis (i.e. Phoebi, quem poetae cum Sole saepe miscuerunt) habitum adhuc non assumpsit neque clementior visus⁸. Melioribus nunc vocabulis egentes „ultorem vagum” eum vocemus. Utterque (sc. Ulices et ille) propterea in mittendis sagittis excellens. His duobus signis conspectis versus hymni Homericī in *Apollinem* scrutans exponere conabor poetam Cynaethum specimen Ulixis occultare potuisse.

Similitudo quaedam inter hymni nostri proēmium et *Odysseam* iam a Martino West, illo doctore fortissimo, animadversa est⁹. Simulac incola novus Olympum intravit, dii ceteri (Iove et Latona exceptis) a sedibus surgunt (v. 3 sq.: καὶ ρά τ’ ἀναισσουσιν ἐπὶ σχεδὸν ἔρχομένοι | πάντες ἀφ’ ἔδρασ, ὅτε φαίδιμα τόξα τιταίνει). Itemque proci, cum Ulices Antinoum, ex iis unum, interfecit (*Od.* 22.23: ἐκ δὲ θρόνων ἀνόρουσαν ὄρυθέντες κατὰ δῶμα, κτλ.).

Plura ceterum de versibus 167 sq. nobis disserenda sunt. Poeta enim minore quodam „in virgines” hymno intus injecto¹⁰ a Deliadibus quaerit, ut, cum hospes aliquis multa passus (*kseinos talapeirios*) in insulam venturus sit, de eo quoque meminerint¹¹. Haec sunt verba ad rem attinentia (*h. Ap.* 166 sq.): [...] ἐμεῖο δὲ καὶ μετόπισθε | μνήσασθ’ ὅππότε κέν τις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων | ἐνθάδ’ ἀνείρηται ξεῖνος ταλαπείριος ἐλθών¹². Carminibus Graecorum epicis Homeri aetate cantatis epitheton quod est ταλαπείριος tantum Ulixi inhaesit, ut aliis paene exclusum esset¹³. Libro sexto eo adiectivo usa Nausicaa Ulixem alloquitur (v. 193: ω-ν ἐπέοιχ’ ἵκετην ταλαπείριον ἀντιάσαντα) = 14.511 [hic eadem verba Eumeus facit]¹⁴. Huius modi expressio porro verbatim paene duobus locis recurrit. Primum, cum in Phaeacum insula Ulices a Minerva petivit, ut ei viam demonstraret (v. 7.24: καὶ γὰρ ἐγὼ ξεῖνος ταλαπείριος ἐνθάδ’ ἵκανω [...]), et iterum, cum

⁶ Similia studia de aliis auctoribus recentiora: H. Van Trees, *Poetic Memory. Allusion in the Poetry of Callimachus and the Metamorphoses of Ovid*, Leiden and Boston 2004; N. Lane, „Some Illusive Puns in Theocritus, *Idyll 18 Gow*,“ *QUCC, NS*, 83 (2) 2006, 23 – 26.

⁷ Mercurium etenim proavum eius fuisse – patrem Autolyci, patris Anticleae, persaepe audimus, vid. e.g. *Od.* 11. 85, 19.392 – 412; [Hes.] Hes. fr. 64.15 sq. M–W = P.Oxy 2500. Textus Homeri et hymnorū secundum editiones has collatus: Homeri *Odyssea*, ed. P. von der Mühll, Basel 1962; *The Homeric Hymns*, edd. T. W. Allen, W. R. Halliday, E. E. Sikes, Oxford 1936.

⁸ Cf. M. Chappell, „The Homeric Hymn...,” p. 76 sq.

⁹ Vid. M. L. West, „Cynaethus’ Hymn to Apollo,“ *CQ, NS*, 25 (2) 1975, 161 – 170 [p. 163]: „What is Apollo thinking of, coming into the company of the gods with his bow at the ready, as if he were Odysseus and they the suitors?“.

¹⁰ Vid. C. Calame, „Variations énonciatives...,” 1. c.

¹¹ Cf. Verg. *Aen.* 3.628 Mynors: [...] nec *talia passus Ulices*.

¹² Semel id Piraeum, Telemachi amicum quandam, ornat (*Od.* 17.84).

¹³ Cf. Eust. *Ad Hom. Od.* 6.193 (vol. I. p. 248 Stallbaum); Schol. B *Od.* 14.511 Dindorf.

Euryklea eo adhuc non recognito multos illuc fessos peregrinantes ad id tempus venisse dixit (*Od.* 19.379: πολλοὶ δὴ ξεῖνοι ταλαιπείροι ἐνθάδ' ἵκουτο). Poetam Cynaethum ergo eo ipso epitheto ulla sine causa usum mirum sit. In his arguendis auctorem sua ipsius tempora enarrare censere possumus.

Ex alia quidem parte in totius hymni textum spectantes vim quandam argumentorum pro allusione inventa dicentium monstrare haud nequimus. Compositio iuncta enim hoc in carmine ab Iohanne D. Niles conspecta et in articulo quod supra diximus (n. 4) depicta, paucis mutatis, ex iis constat:

A. Proēmium

- b₁ Congregatio deorum
- B. b₂ *Apostrophe* ad Latonam
-
- b₃ Quaesitum
- b₄ Responsum
- C. Enumeratio terrae specierum
- D. FABULA DE APOLLINE NATO
- C. Enumeratio terrae specierum
- b₁ Ludi Ionorum
- b₂ *Apostrophe* ad virgines
- B. b₃ Quaesitum
- b₄ Responsum

A. Peroratio

Signa „AB” – „BA” ad Ulixem in utraque parte (medio mytho) referentia assumamus. Prima poeta per Apollinis in aulam introitum inter proēmium (A) et deorum congregationem (b₁) positum, altera per adventum eius „qui multa passus est” inter virginum exhortationem (b₂) et quaeſitum (b₃) eum significat. Ipsa compositio iuncta certe speciem suam meliorem exigeret, si altera parte rerum ordo propter „B” inversus esset (b₄ – b₁). Quae cum ita sint tamen satis ea facilis aspectu mihi videtur. Nostrum „iugum Ulixis”, quod primum ante elementa „b₁ + b₂”, deinde post ea consistit, aptissime totam in operis structuram irrepdit.

Nempe collectio eorum, quae ad fabulam, sermonem formamque Deliae partis hymni spectant, ne longius Ulixis persona abscondatur id, quod hoc studio agitur, non omnino, ut spero, temerarium esse efficit.